



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

IV. Vera sententia de efficacitare actus contritionis comprobatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

quenter loquuntur quam Vasquez, quia si contritio est satisfactio condigna pro culpa, non videtur quomodo possit de potentia absoluta manere culpa: impossibile enim est, posita æquali satisfactio-  
ne, manere adhuc offensam, ut supra vidimus, hoc est, fundamentum ad rationabilem aversionem in existimatione prudentum. Alij, licet eam sententiam non sequantur, fatentur non esse improbabilem, nec aliqua graviore nota dignam.

96. Pro hac sententia afferunt in primis loca sacra Scripturae, quibus dilectioni videtur tribui sancti-  
tas, & remissio peccatorum. Proverb. 10. *Vniuersa delicta operis charitas.* 1. Petr. 4. *Charitas operis multitudinem peccatorum:* ideo appellatur alibi *vinculum perfectionis, finis præcepti, plenitudo legis,* & alia huiusmodi. Hæc tamen omnia vno verbo explicantur de causalitate per modum dispositionis, non per modum formæ: expellit enim peccata dispositi-  
one: dicitur etiam *vinculum perfectionis, plenitudo legis,* &c. quatenus affert secum observantiam totius legis, quæ facilis est diligenti Deum super omnia.

Ex Patribus. Secundò afferuntur Patres, qui de dilectione eodem modo loquuntur. Augustinus enim charitatem vocat verissimam, plenissimam, perfectissimamque iustitiam, item in eodem sensu dicit, charitatem inchoatam, inchoatam iustitiam esse; charitatem profectionem, profectionem iustitiam; charitatem magnam, magnam iustitiam. Item charitatem sanctificare. Addit autem Vasquez cap. 4. nunquam apud Augustinum inueniri mentionem de charitate habituali, sed semper ipsum loqui de dilectione actuali; item Gregorius appellat charitatem vestem nuptialem, Bernardus dicit, dilectionem maritare animam Verbo, esse amplexum, esse contractum, esse sanctitatem; timorem esse medicamentum, charitatem verò animæ sanitatem, & alia huiusmodi.

97. Sed ad hæc omnia facile respondeo eodem modo, hos effectus tribui dilectioni, non ut formæ, sed ut dispositioni infallibili ex lege Dei. Sic enim humilitas etiam appellatur in Evangelio iustitia, & elemosyna dicitur *extinguere peccatum,* & Christus dicitur *esse nostra iustitia,* & *nostra sapientia,* quæ omnia non de causa formali, sed de causa efficiendi, vel dispositiua debent intelligi. Falsum etiam videtur, nunquam Augustinum loqui de charitate habituali; nam concione 16. in Psal. 118. ad illa verba *feci iudicium,* & *iustitiam* admonet, intelligendum de actu iustitiæ, & non de ipsa virtute, quia hanc iustitiam non facit in homine, nisi qui iustificat impium, & ex impio facit iustum, ubi habitum distinguit ab actu, & per habitum solum dicit hominem iustificari à Deo, ut per formam. Et alibi nomine virtutis comprehendit etiam charitatem, virtus autem non est actus, sed habitus.

Tertio afferuntur pro illa sententia aliquæ rationes, quas postea referemus, & dissoluemus si prius nostram sententiam comprobauerimus, & explicauerimus.

#### SECTIO IV.

##### Vera sententia de efficacia actus contritionis comprobatur.

98. **N**ostra, & communis sententia duas partes habet. Prima est, actum contritionis, vel dilectionis non esse de facto formam iustificantem.

Secunda est, neque ex natura sua habere eam efficacitatem, ut possit aliquando formaliter iustificare, vel expellere peccatum mortale. Hæc est communis Theologorum, quos videre poteris apud Suarez 1. tom. in 3. parti disp. 4. sect. 8. & disp. 8. sect. 3. assertione 2. & tom. 3. de gratia lib. 7. cap. 8. & cap. 13. & sequentibus, ubi iterum late hanc sententiam confirmat. Videri etiam potest P. Salmeron in epist. ad Galat. disp. 8. ubi ait, dilectionem, & penitentiam esse dispositionem ad gratiam iustificationis, & remissionis peccati, & disp. 9. penitentiam esse immediatam dispositionem ad remissionem peccati, & disp. 11. actus nostros supernaturales peccati, & Deo, ut dispositionem ad gratiam, quam merentur de congruo. Vtor autem libenter testimonio huius Auctoris, quia interfuit Concilio Tridentino, & scire melius potuit mentem Concilij, quando definitur, contritionem esse dispositionem ad iustificationem, quod Vasquez conatur aliter interpretari, ut videbimus.

Primum ergo fundamentum sumitur ex auctoritate prædictæ Tridentini sess. 6. cap. 7. ubi postquam cap. 6. numerauerat dispositiones, quæ præcedunt iustificationem, scilicet, fidem, spem dilectionem, &c. postea cap. 7. incipit his verbis. *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur,* &c. Vbi iustificationem omnino condistinguit à dispositionibus, & à dilectione Dei: ergo ex mente Concilij contritio, vel dilectio, non est forma iustificans, sed mera dispositio ad iustificationem. Respondet Vasquez disp. 20. 3. num. 98. nomine dilectionis quam Concilium numeravit cap. 6. inter dispositiones, non intelligi dilectionem perfectam Dei super omnia, sed imperfectam, quæ amatur Deus ex amore concupiscentiæ, ut bonum nostrum: quam quidem dispositionem consequitur postea iustificatio in Sacramento, de qua sola loquitur Concilium 6. 7. non de illa, quæ sit extra Sacramentum virtute perfectæ contritionis.

Sed contra hoc est, quia si Concilium non loqueretur de dispositione, & de iustificatione in vniuersum, sed solum de dispositione ad iustificationem in Sacramento obtinendam: valde diminuta esset Concilij doctrina circa nostram iustificationem, præsertim cum in illa sessione sermonem incepisset de iustificatione in communi, de qua eadem tractatum prosequitur etiam in c. 6. & 7. ut patet ex titulis eorum capitulum, item doctrina illius capituli septimi generalis est ad omnes iustificationes: alioquin nihil haberemus ex Concilio contra hæreticorum errores circa formam iustificantem extra Sacramentum; sed possent illi contendere, extra Sacramentum iustificari hominem per formam extrinsecam, per iustitiam Dei, vel quid simile; quod tamen omnes supponunt damnati in prædicto cap. 7. Tridentini. Denique, si nomine dispositionum nullo modo intelligeretur ibi contritio, sed sola attritio, Concilium utique tradidisset doctrinam minus certam, & reliquisset doctrinam magis certam: certius enim est contritionem sufficere cum Sacramento ad iustificationem, quam sufficere attritionem, non est autem credibile Concilium loquendo de iis requisitis, dixisse quæ minus certa erant, & omisisse quæ certissime sufficiebant. Non ergo loquitur de sola attritione nomine dispositionum, sed de dispositionibus in communi cum proportionem ad singulas iustificationes, scilicet, de contritione ad iustificationem extra Sacramentum, & de contritione, vel attritione cum Sacramento, & de utraque dicit: *hanc dispositionem iustificatio consequitur,* &c.

Secundò ex eodem Tridentino arguitur, quia cum contritio semper fuit necessaria ad impetrandum

veniam peccatorum, vt docet *sess. 14. cap. 4.* vbi loquitur etiam de iustificatione extra Sacramentum, & quæ fiebat ante aduentum Christi; ergo illa etiam contritio, quæ tunc requirebatur, impetrabat remissionem peccatorum, ergo non erat forma, sed dispositio; meritum enim, & impetratio non est forma rei, quæ impetratur, sed dispositio ad illam: nulla enim forma impetrat suum effectum formalem. Respondet Vasquez *num. 103. & 104.* licet Concilium ibi loquatur de contritione in genere propterea abstrahit à perfecta & imperfecta; necessitatem tamen illam verificari solum de imperfecta, quæ est attritio, & ideo de industria non dixisse, motum illum semper fuisse necessarium ad iustitiam (nam potuisset Deus aliquem subito iustificare ex perfecta contritione sine attritione precedenti) sed dixit, fuisse necessarium ad impetrandum iustitiam: nam attritio sola de lege ordinaria impetrat iustificationem, nemo enim etiam extra Sacramentum obtinet contritionem, nisi prius habuerit attritionem regulariter loquendo, & ideo attritio dicitur necessaria ad impetrandam iustificationem.

*102.* Sed contra hoc est, quia ipse Vasquez *num. 103.* fatetur, non esse contra legem ordinariam, licet id rarissime accidat, aliquem hominem subita motione iustificari, sine eo quod alia pia opera præcedant; ergo neque erit contra legem ordinariam Dei subita motione iustificari aliquem, qui licet prius attritionem non habuerit, se tamen oratione, ieiuniis, elemosinis aliisque piis operibus exercuerit, possunt enim hæc omnia sine vera attritione fieri: si autem fiant, possunt etiam impetrare auxilium ad contritionem habendam. Vnde ergo potuit certo constare, semper fuisse necessariam attritionem ad impetrandam iustificationem? Adde violentiam omnino esse eam explicationem Concilij, nam ibi sermo est vniuersalis, quo docere voluerunt Patres Concilij nunquam iustificationem peccatoris sine penitentia contigisse, præcindendo scilicet à penitentia perfecta, & minus perfecta; idem ergo est dicere, & fuisse semper necessariam contritionem ad impetrandam veniam, ac dicere fuisse necessariam ad habendam veniam, supponebant enim nunquam haberi veniam, nisi impetrando eam. Si autem aliquando haberetur venia non impetrata per contritionem; satis mutila esset doctrina Concilij in hac parte, cum solum loqueretur de casu particulari, in quo præcedit attritio, & de hoc solum casu diceret, intercedere penitentiam, quod ad intentum Concilij parum iuuabat.

Tertio arguitur ex eodem Tridentino dicta *sess. 6. can. 3.* in hæc verba: *Si quis dixerit, sine præuenienti Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere aut penitere posse sicut oportet, ut iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Vbi Concilium aperte supponit, diligentem Deum fuisse oportet, dari iustificationis gratiam, & ipsam dilectionem esse dispositionem, vt deur iustificatio. Quarto ex eodem *sess. 6. can. 7.* dicente, *iustitiam, per quam iustificamur dari unicuique secundum propriam vniuersalemque dispositionem, & operationem.* Contritio autem non datur secundum mensuram dispositionis antecedentis. Ergo ex mente Concilij contritio non est forma iustificans, sed gratia habitualis. Denique ex mente Concilij homo etiam extra Sacramentum iustificatur per habitum gratiæ, vt concedit ipse Vasquez vbi supra *cap. 10.* quia adultus in Sacramento penitentiae, & puer in baptismo non potest aliter iustificari, nec adultus extra Sacramentum iustificatur minus perfecte quam puer in baptismo, & per consequens vtrique interuenit forma intrinseca habitualis

P. Joan. de Lugo de Penitentia.

iustificans; ergo non iustificat formaliter contritio. Probat consequentia, quia si contritio iustificat formaliter, gratia habitualis non iustificaret; iustificatio enim ex eodem Concilio *sess. 6. can. 4.* est translatio impij à statu peccati ad statum gratiæ, &c. Sed si contritio iustificat habitus gratiæ iam inuenit hominem iustum per contritionem antecedentem; ergo nunquam habitus gratiæ iustificaret, quia nunquam transferret hominem à peccato in gratiam, contritio enim antecedit gratiam habituales, vt dispositio antecedit formam, ad quam disponit.

Respondet aliqui, gratiam habituales præcedere in genere causæ efficientis, quia est principium efficiens contritionem. Sed contra, quia hoc in primis est omnino falsum, vt videbimus *sect. 7.* Deinde illa prioritas præcisè in genere causæ efficientis nihil iuuat; quia nisi gratia præcedat accepta materialiter in anima, non intelligitur iustificare; sed ex parte subiecti per prius intelligitur contritio quam habitus gratiæ, ergo in ordine ad effectum formalem iustificandi, non intelligitur prius gratia, quam contritio, sed potius e contra. Habemus ergo ex Concilio & iuxta eius mentem non esse dicendum, quod contritio sit de facto iustificans.

Secundò principaliter ostenditur idem intentum ex sacra Scriptura quæ sæpe prædicat, iustificationem & remissionem peccati esse distinctum beneficium Dei etiam post contritionem, & dilectionem Dei: *Plalm. 10. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Prouerb. 18. Quia abscondit scelera sua non dirigitur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Eccles. 17. Quam magna misericordia, & propitiatio illius conuertentibus ad se. Sap. 11. Miseris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam. Ierem. 11. Si penitentiam egerit gens illa à malo suo, & agam & ego penitentiam à malo, &c. & c. 12. Si conuersa fuerit gens illa, &c. conuertar & ego, & miserebor. Ioel. 2. Scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum, quia benignus, & misericors est patiens, & multa misericordia. & alibi sæpe. Vbi passim promittitur perfecta penitentiae remissio peccati, & penitentia exigitur vt conditio sub qua promittitur iustificatio, quæ omnia satis probant non esse formam, sed dispositionem ad iustificationem.*

Respondent Aduersarij, in prædictis locis non promitti remissionem peccati tanquam nouum beneficium post contritionem, sed explicari efficaciam contritionis ad causandum illum effectum formalem. In hoc enim sensu dicitur *Eccles. 17. quam magna misericordia, & propitiatio Dei conuertentibus ad se*; id est, magna misericordia Dei est dare donum perfectæ conuersionis. Ita Vasquez *num. 60. & 61.* Sed impugnatur clarè ex verbis eiusdem sacrae scripturae, vbi remissio peccati appellatur nouum beneficium Dei post contritionem *ierem. 12. Si conuersa fuerit gens illa, conuertar & ego, miserebor, &c. Ioel. 2. Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est. Ierem. 3. Conuertimini filij reuertentes, & sanabo vos. Vbi sanatio promittitur tanquam nouum beneficium post conuersionem hominis, nec vnquam promittitur à Deo aliquid sub conditione eiusdem: sicut promittitur passim iustificatio sub conditione contritionis. *Isai. 1. Lauamini mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum, &c. & verite & arguite me. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabitur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Ezech. 18. Si impius egerit penitentiam, vita viuet, &c. Et alibi sæpe. In quo sensu patres intellexerunt hæc Dei promissionem, tanquam de aliquo post contritio**

L

tricio

Augustin.

tritione dando. August. in Psalm. 144. *Deus conversioni tue indulgentiam promissit, sed dilationi tue diem crastinum non promissit.* Ecce aperte distinguit conversionem ab indulgentia, & hanc ponit quasi præmium illius. Item Fulgentius epist. 7. c. 7. *Deus sicut per iustitiam damnat aversum, ita per misericordiam sanat conversum.* Et alij Patres eodem modoloquuntur, non ergo potest negari, quin novum beneficium promittatur post conversionem in prædictis locis.

Fulgent.

107.

Respondent secundo, sermonem ibi esse, non de contritione perfecta, sed imperfecta, cui ex misericordia Dei adiungitur postea iustificatio. Hæc etiam solatio non potest sustineri, quia contritioni imperfectæ non promittitur infallibiliter illa misericordia homini converso, ut constat ex illis verbis Isai. 1. modò adductis: *Venite, & arguite me, &c.* Et in aliis locis supra citatis. Deinde sermonem esse de contritione perfecta, constat, tum quia ipse immediate promittitur remissio peccatorum, tum etiam quia appellatur *conversio ad Deum ex toto corde*. Ioël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro & postea subiungit: Convertimini ad Dominum Deum vestrum quia benignus, & misericors, &c.* Hoc autem nomine sola contritio perfecta intelligitur, ut supra probatum est. Alias explicationes leviores, quæ adduci solent ad eludendam vim horum testimoniorum, bene impugnat Suarez. dicto lib. 7. de gratia, cap. 13.

Isai. 1.

Ioël. 2.

108.

Probatum etiam ex SS. Patribus.

Tertio principaliter probatur idem intentum ex modo loquendi Sanctorum Patrum: qui semper supponunt, post contritionem, & pœnitentiam etiam perfectam dari novum beneficium ex parte Dei remittentis peccata. Adducamus aliqua potissima, in quibus advertendum obiter est, non posse explicari de pœnitentia cui infallibiliter annectitur iustificatio. Neque etiam posse explicari de misericordia Dei antecedenti (ut vult idem Vasquez) quatenus dat auxilium ad contritionem; loquuntur enim clare de misericordia consequenti. Chrysost. homil. 80. ad pop. in principio sic ait: *Totam vitam in peccatis absumpsi, & si pœnitentiam egero, salabor? & maxime. Unde constat, ex Domini clementia: ne tua confidas pœnitentia, tua enim pœnitentia tanta nequit peccata delere. Si sola foret pœnitentia, inre timeres: sed postquam pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide.* Hieronymus in illud Michæ 6. *quid dignum offeram Deo? sic ait: nihil enim dignum est, quod pro peccato possit Deo offerri, & nulla humilitas potest maculas eluere delictorum.* Quam sententiam commendat valde Concilium Francofordiense epistola ad Episcopos Hispaniæ ante mediū; & ut alios omittam, Cassianus ipse quia aliis in extollendis nostris operibus, & eorum efficacia adeo videtur excedere; adhuc tamen contritioni quantumvis perfectæ hanc vim aperte negat collat. 20. cap. 8. ubi postquam diversos pœnitentiæ actus, & in eis charitatis affectus numeravit; denique de iis omnibus subiungit. *Etiam si hæc omnia fecerimus, non erit idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea hominis Domini, clementiaque deleverit, qui cum religioſi conatus obsequia supplici mente a nobis oblata perpexerit, exiguis, parvisque conatus immensa liberalitate prosequitur dicens. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitatem tuam propter me, &c.* Vide alia Patrum loca apud Suarez, ubi supra dicto lib. 7. de gratia & lib. 1. 2. caput. 37. num. 9. & 10. & tom. 1. in 3. part. disp. 4. sect. 8.

Hæc enim.

Cassian.

109.

Probatum amplius ex mente prædictorum Patrum quia scilicet contritio non potest habere cōdignitatem, & æqualitatem sufficientem ad expiandum

& abolendam offensam Dei: nam inter homines etiam videmus, si vulgaris homo Regem graviter offendat, non tamen expiare, & satisfacere sufficienter pro offensa eo ipso, quod doleat, & diligat Regem, quantum minus sufficit pœnitentia hominis ad delendam offensam gravem factā in Deum infinitum? Hinc est, non posse puram creaturam satisfacere condignè saltem pro peccato mortali proprio, ut traditur communiter à Theologis cum S. Thoma in materia de Incarnatione. Si autem contritio esse forma iustificans, iam per contritionem homo satisfaceret sufficienter pro peccato suo. Ex quo etiam fieret quod peccata non deleterentur per remissionem Dei, sed per satisfactionem hominis; non enim remittitur, vel condonatur debitum illud, quod per satisfactionem extinguitur, frustra ergo petimus à Deo remissionem peccati, sed deberemus petere contritionem, qua solvitur pro peccato; frustra etiam dicimus, Deum pœnitentibus, dimittere peccata; non enim dimittitur illud, pro quo integrè, & æqualiter satisficit.

Denique non erit iam solus Deus qui delet peccata nostra; sed homo ipse, ille enim dicitur proprie causare effectum formalem, qui proprie causat formam illius; si ergo contritio est vera forma iustificans, & expellens peccata: dicitur verè, & proprie homo tollere peccata, sicut verè, & proprie ponit contritionem, per quam formaliter tolluntur. Hæc autem omnia sunt absurda, & contra communem modum loquendi Sacre Scripturæ, & Patrum, & contra sensum omnium fidelium, ut patet.

P. Vasquez. 3. part. disp. 2. cap. 5. & 6. concedit planè, hominem purum non posse condignè satisfacere pro peccato; quia licet contritio extinguat formaliter peccatum; non tamen potest satisfacere pro toto debito per peccatum contracto, scilicet, pro debito carenti auxilio congruo ad ipsam contritionem habendam: hoc enim debitum condonari debuit ante ipsam contritionem, & per consequens contritio iam invenit debitum aliqua, ex parte remissionis atque idem non satisfacit ad aquatè toto debito, quare ipsa contritio includit gratiam, & remissionem Dei, & Deus per illam, dicitur remittere peccatum, quia dando contritionem, seu auxilium ad contritionem, remittit debitum carenti contritione, quod resisteret ex peccato.

Hanc solutionem latè impugnavi in materia de Incarnatione disput. 5. sect. 1. ad quā proprie pertinet, quia re vera licet verbis negare videatur, sed re ipsa ponit, contritionem satisfacere ad aquatè pro peccato in sensu, in quo negatur communiter à Theologis, nam licet contritio inveniat cōdonatū debitū carenti auxilio congruo ad contritionem; non tamen invenit ablatum peccatum, vel totaliter vel ex parte, quod attinet ad culpam, alioquin si iam esset saltem partialiter ablatum; ergo ante contritionem non est homo peccator, nec habet maculam culpæ totalem, sed partialem, quod est valdè absurdum. Certum ergo est per auxilium congruum, solum fuisse condonatum ad summum aliquam partem pœnæ contractæ ex peccato; de culpa tamen nihil condonatum fuisse; ergo contritio satisfacit per te pro toto illo, quod nondum ablatum est; ergo satisfacit pro tota culpa integrè, & perfectè: Potest ergo purus homo satisfacere condignè, & æqualiter pro culpa mortali & pro pœna æterna, licet non possit satisfacere pro aliquo debito pœnæ, scilicet carenti auxilio congruo ad contritionem. Vide quæ latius dixi loco citato de Incarnatione, ne ea repetamus. Deinde

112. Deinde non solum remittitur homini debitum  
 113. carenti auxilio, sed etiam remittitur propriè pœna  
 aeterna, ut docet Tridentinum *sess. 6. cap. 14.* ubi dicitur  
*per orationes, elemosynas, & alia pia opera nos non  
 satisfacere pro pœna aeterna, quæ Sacramento, vel sacra-  
 menti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna tem-  
 porali, &c.* Ergo adhuc post collationem auxilij cõ-  
 grui, non habet vim contritio ad satisfaciendum  
 condignè pro pœna aeterna: Si enim satisfaceret  
 non remitteretur propriè, remissio namque non est  
 ubi datur vera solutio.

Dices remittitur pœna aeterna radicaliter qua-  
 renus remittitur debitum carenti auxilio ad cõtri-  
 tionem, si enim illud non remittitur, non posset  
 homo satisfacere pro pœna aeterna; ideo extinctio  
 pœnæ aeternæ, est gratuita in radice. Sed contra, quia  
 in sensu, etiam pœna temporalis potest dici remitti  
 similiter in radice; Nam si homini non remittere-  
 tur debitum carenti auxilio congruo ad cõtri-  
 tionem, non posset postea per elemosynas, &  
 alia pia opera satisfacere pro pœna temporalis;  
 & tamen hoc non obstante, Concilium dicit, ho-  
 minem satisfacere pro pœna temporalis, non verò  
 pro aeterna, quia hæc gratis remittitur; ergo non  
 solum agnoscit gratiam in radice, sed in ipsa for-  
 mali extinctione pœnæ aeternæ, quæ non tollitur  
 per satisfactionem condignam, sicut pœna tempo-  
 ralis.

Denique ratio à priori conclusionis sumitur ex  
 natura contritionis, quæ cum sit actus transiens,  
 non potest esse forma propriè iustificans, nam for-  
 ma iustificans eo ipso formaliter facit hominem fi-  
 lium adoptivum Dei, & per consequens similem  
 Deo in natura per participationem; hoc autem ha-  
 bet gratia habitualis, quæ tenet per modum naturæ  
 in ordine supernaturali est prima radix habituum  
 supernaturalium, quibus homo operatur opera-  
 tiones diuinas, & quibus tandem assimilatur Deo  
 in visione, & dilectione ipsius Dei: Contritio  
 verò, cum sit actus non potest esse radix habituum  
 insulorum, nec habere se per modum naturæ in  
 ordine supernaturali; non ergo habet ea quæ re-  
 quiruntur ad iustificandum.

Hinc etiam constat quomodo non possit forma-  
 liter expellere peccatum habituale: nam (ut supra  
 vidimus) peccatum habituale & peccatum præteri-  
 tum non condonatum, vel expiatum per condi-  
 gnam satisfactionem; cum ergo contritio non sit  
 condonatio Dei nec etiam satisfactio condigna; non  
 opponitur formaliter peccato habituali, nec de-  
 struit formaliter illud; sed solum dispositivè, & de  
 congruo, quatenus Deus infallibiliter promissit  
 contritioni, ut congruè dispositioni, condonatio-  
 nem peccati, & gratiam habituales quæ formaliter,  
 & propriè tollatur macula peccati.

Ex dictis inferitur secunda pars nostræ cõclusio-  
 nis scilicet, contritionem non solum de facto non  
 iustificare formaliter, sed neque etiam de possibili  
 in illo casu id habere. Nam repugnantia assignata  
 eodem modo probant de possibili, & quidem si de  
 possibili id haberet, haberet etiam de facto: forma  
 enim applicata subiecto capaci non potest impediri  
 quin communicet illi suum effectum formalem: Si  
 ergo contritio ex se esset potens ad dandum hunc  
 effectum formalem daret illum de facto.

Dices, de facto non posse hoc fieri, quia cõtri-  
 tio præsupponit habitum gratiæ, & charitatis, à quo  
 fit, & per consequens inuenit iam peccatum expul-  
 sum per illos habitus. Sed contra, quia in primis  
 falso supponitur contritionem fieri ab habitu cha-  
 ritatis, nam ut videbimus *sect. 7.* non fit ab habitu sed  
 ab auxilio. Deinde licet fieret ab habitu, posset  
 P. Joan. de Lugo de Penitentia.

iustificare, quia sicut ipse habitus per se iustificat,  
 pro illo priori, licet in alio genere causa sit prior  
 contritio, cur etiam contritio pro illo priori, quo  
 præcedit habitum ex parte subiecti, non poterit  
 iustificare, licet in alio genere causa subsequatur  
 ad habitum; Consequentius ergo concederetur  
 iustificare, de facto si semel admittitur de possi-  
 bili.

## SECTIO V.

Dissolvuntur rationes pro contraria  
sententia.

Testimonia Sacra Scripturæ, & Patrum quibus  
 P. Vasquez vitur, iam dissolvimus *sect. 3.* nunc  
 respondeamus ad rationes. Primo ergo obicitur potest  
 pro illa sententia: quia contritio est satisfactio  
 æqualis, & condigna pro offensa, ergo debet for-  
 maliter offensam. Consequentia est bona, quia of-  
 fensa tãdiu solum durat moraliter in ratione offen-  
 sæ, quandiu non condonatur vel non compensatur  
 per sufficientem satisfactionem, ut vidimus disputa-  
 tione præcedenti: si ergo contritio est satisfactio  
 æqualis, iam non poterit manere offensa in ratione  
 offensæ. Antecedens verò, quod scilicet sit sufficiens  
 satisfactio, probatur: quia tam placet Deo actus  
 contritionis, & dilectionis, quo homo se, suæque  
 omnia Deo offert, & propriam vitam, ac proprium  
 esse Deo postponit ex effectu amoris quam displi-  
 cuit ipsi Deo peccatum, & offensam: tam bonus enim  
 est iste actus quam fuit malus ille: ergo actus iste  
 sufficiens est per se ipsum ad placandum Deum  
 offensum: quid enim aliud requiritur ad placandū  
 quam placere illi tantum, quantum antea peccator  
 displicuerat.

Hæc ratio in primis non videtur probare totum  
 intentum, quia licet daremus, actum contritionis  
 habere tantam vim ad placandum; quantam pec-  
 catum habuit ad displicendum: intelligendum vi-  
 detur cum proportionem: scilicet actus, intensus  
 contritionis haberet vim ad placandum pro odio  
 Dei intenso; contritio verò remissa pro odio remis-  
 so. Si enim odium Dei fuit intensissimum, & diu-  
 turnum, non videtur servari proportio æqualitatis,  
 si postea in satisfactione offeratur contritio brevis  
 & remissa: non ergo probaretur eo argumento,  
 quamlibet contritionem sufficere ad iustificandum  
 formaliter: sed ad summum id probaretur de con-  
 tritione æquali cum peccatis præcedentibus: maio-  
 ra enim peccata maiorem exigunt satisfactionem  
 condignam.

Deinde ab obiectionem absolute negamus con-  
 tritionem esse satisfactionem æqualem pro peccato,  
 neque enim vlla pura creatura potest satisfacere  
 æqualiter pro peccato, quantumvis multiplicet  
 obsequia, & actus intensissimos, cuius rationem de-  
 dimus in materia de Incarnat. *disp. 5.* ubi illa quæstio  
 ex professo tractatur: & commissis alijs modis & ratio-  
 nibus, diximus, id provenire ex magnitudine offen-  
 sæ, quæ licet non sit infinita simpliciter, habet tamē  
 quandam infinitatem secundum quid, quatenus est  
 incompenfabilis; radix autem huius incompenfabi-  
 litatis in ordine ad satisfaciendum explicatur, sicut  
 infinitas in ordine ad pœnam, nam sicut offensa,  
 cum in se non sit infinita parit pœnam infinitam in  
 duratione, quia in delicto quo summè, & omnino  
 expedit vitari, illa est pœna condigna, & æqualis,  
 quæ in æstimatione prudentum sufficit ad arcen-  
 dos homines ab illo delicto, & quia ad arcendum  
 homines à peccato mortali, quod summopere in-  
 terest vitari non sufficeret moraliter alia pœna quæ  
 non esset infinita in duratione, & qualis à fide nostra